

remotissima. *Paulus* enim, postquam de creatione vniuersi locutus erat, praeprimis hominis creationem describit, atque simul demonstraturus, omnium hominem esse praestantissimum, addit, propter hominem omnia esse creata, & simul ostendit, quomodo Deus singulae speciei creaturarum rerum locum & tempus determinasset, & quam diu in terra commorari deberent, vt rite fruantur fructibus eius. Vnde plane abhorret a fine eius determinatio causae vicissitudinum anni atque confutatio opinionum philosophorum diuersarum de illa.

§. XVIII.

Alii igitur rectius vitae tempus hominum intelligunt, vt ita indeterminate sententiam suam exprimit *Wolffius* in *curis philolog.* ad h. l. quo igitur vel solus vitae terminus hominum indicari potest, vel melius latius & tempus, quo quisque in lucem edi atque in ordine rerum successuarum consequi deberet, & tempus, quoad viuere deberet ille s. terminus vitae, cum hic eadem ratione de ordine cuiuslibet in serie rerum successuarum sermo sit, sicut in sequenti de ordine in serie simultanearum rerum loquitur. Ex quo satis dilucide apparet, cum successio & simultaneus ordo sibi inuicem optime subiiciantur, nexui vocum melius consuli, dum ad tempora, ad homines proprie spectantia, quam si ad illa, quae mundum spectant, referuntur.

§. XVIII.

Dum verba porro inspicimus, adhuc obseruamus epitheton primae voci additum, *προτεταγμενοι*. Deriuatur

tur